

ANIMADVERSIONES
AD
MALLEUM HUMIDUM ET FARCIMINOSUM,
IN HOMINES TRANSLATUM
MORBI HISTORIIS ILLUSTRATÆ.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARUM CAESAREA
DORPATENSI
AD GRADUM
DOCTORIS MEDICINAE
RITE ADIPISCENDUM
LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Georgius Hartmann,

RIGENSIS.

DORPATI LIVONORUM,

TYPIS HENRICI LAAKMANNI.

MDCCCLV.

I m p r i m a t u r

haec dissertatio ea conditione, ut, simulac typis fuerit excusa, numerus exemplorum lege praescriptus collegio tradatur ad explorandos libros constituto.

Dorpati die 31. mens. Maji 1855.

(Nr. 139.)

(L. S.)

Samson,

ord. med. h. t. Decanus.

P A T R I O P T I M O

OFFERT

D17900

FILIUS.

PRÆFATIO.

Doctrina de contagiis haud dubie ex omni tempore in pathologia inter difficillimas maximeque obscuras fuit, ita ut, quamvis multae scrutationes atque explicationes a celeberrimis viris prolatae sint, tamen hodie quoque facere non possimus, quin eam hucusque neutiquam certam omnique dubitatione exemptam esse concedamus. Nam, licet multae propositae fuerint conjecturae, quibus arcana contagiorum indoles illustraretur, licet chemia quoque et anatomia microscopica, quae recentissimis temporibus tam multum lucis attulerunt, in usum vocatae sint, tamen tantum abest, ut caliginem, qua haec doctrina involuta est, dispellere contigerit, ut neque contagii indolem neque naturam satis cognitam perspectamque habeamus. Solum hoc enim pro certo novimus, contagium quoddam exstare, quod post affectionem ab altero secretum, fortasse etiam productum, in altero, qui rerum conditionibus opportunis ipsius effectui expositus fuerit, vel eandem vel saltem consimilem affectionem procreet, atque quam is, qui primus affectus erat, obtulerit. In qua translatione et peculiaris cujusque contagii natura et ejus, quem invadat, major minorve ad illud recipiendum proclivitas gravissimas partes sustinent. Sic, ut exemplis utamur, typhosa vel diphtheritica intestinorum affectio ac pleuropneumonia erysipelatosae non grassantur nisi inter pecus bubulum, neque nobis contingit, ut eas vel

in alia animalium genera vel in hominem etiam propagemus. E contrario alia exstant contagia, veluti malleus humidus vel farciminosus, quae latius propagari queant, ita ut transferendo in equo asino, mulove, rarius in ruminantibus aliisque mammalibus produci possint. Quae morbi forma contagiosa in homine nunquam sponte evolvitur, sed tantum ab illis, quae diximus, animalibus, in quibus quidem spontanea ejus origo in dubitationem vocari non potest, ad hominem transfertur.

Hanc igitur, quam memoravi, morbi formam, nempe malleum humidum et farciminosum, ut dissertationis inauguralis conscribendae materiam deligerem, consilio a Dr. Adelman, praeceptore summe venerando, professore clarissimo, mihi dato adductus sum, cui viro humanissimo palam nunc **auxilii**, in exaranda hac commentatione amicissime mihi praebiti, debitas gratias persolvere liceat.

Ne lectorem benevolum similitudinis satietate defatigarem, veritus eas tantummodo morborum historias, quae et uberius diligentiusque descriptae et eorum, quae in cadaverum sectionibus comperta fuissent, expositione instructae essent, breviter paucisque referendas esse censui, nec non, quo facilius omnia uno conspectu perlustrari possent, et hanc et alteram observationum in variis terris institutarum seriem in tabulas contuli.

Morborum historiae.

Si quis vel obiter in litteras ad hanc morbi formam pertinentes oculos conjecerit, sane non poterit, quin miratione moveatur, quod tam sero demum, nimirum nostro saeculo ineunte, primae notationes de malleo humido et farciminoso in homines translatis reperiantur, quum ejusdem morbis in equis asinisque notitia inde a remotissima antiquitate repeli queat. Hecker ¹⁾ in artis medicae historia jam *Eumelium Thebanum* equorum malleum humidum cognitum habuisse nomineque *μάλις ἀοθρίτις* appellasse ait. Eodem teste, etiam *Vegetius Renatus* eundem morbum novebat, qui quidem ei nomen hodieque usitatum, nempe malleum humidum, indidisse dicitur. Quorum uterque id malum pro glandularum inflammatione habuit, at neuter eorum neque quisquam post illorum tempora usque ad annum hujus saeculi decimum ullam de hac affectione in homines translata mentionem intulit. Itaque, quum satis constet, quam contagiosus sit malleus humidus, vix statui potuerit, tunc temporis re vera nullos, quibus in homines translatus sit, casus observatos esse, sed potius suspicio movetur, quae illis temporibus manca et imperfecta artis medicae cognitio fuerit, hunc morbum, non pro forma peculiari habitum, cum aliis affectionum formis uno ordine positum fuisse. Etenim hoc nisi sumere voluerimus, sed potius malleum humidum tempore priore nunquam in hominibus apparuisse judicemus, nobis omnino negandum est, malleum humidum, qualis nostra aetate observetur, eundem esse, qui temporibus prioribus in equis asinisque obvius fuerit, morbumque istum, quem medici vetustiores malleum dixerint, nihil fuisse aliud, quam morbum aliquem similem, forsitan panum, credamus oportet, qui neglectus ob rerum condiciones infaustas contagio evoluto in id malum abierit, quod nunc nomine mallei humidi nuncupare consueverimus.

1) Hecker's Geschichte d. Heilkunde, Berlin 1822. 1829.

Prof. Waldinger¹⁾, qui omnium primus ad hujus morbi malignitatem virorum doctorum attentionem advertit, auctor existit, ut, qui in equorum malleo humido extintorum cadaveribus secandis versaretur, quam maxima cautione uteretur, ne pus in aliquod corporis vulnus penetraret, quod, si tale quid accidisset, sequelae adversissimae, quin immo mors, ingruere possent. Similiter et Veith, si quis in equis malleo humido affectis sectionem instituens sibi laesionem intulerit, saepe membra laesa inflammari atque intumescere testatur, quae inflammatio, si rerum conditiones parum secundae fuerint, exitum funestissimum habere possit.

Contagium ab equis malleo humido affectis in hominem translatum omnium primo in Germania in observationem venit, quo facto, quum rei gravitas medicorum animos in se convertisset, magna similium observationum, in diversis terris oblatarum, multitudo congesta fuit. Quin etiam in Francogallia morbi frequentia adeo increverat, ut anno 1843 virorum doctorum collegium, quod malo quam maxime coërendo prospiceret, Parisiis constitueretur.

Anno 1812 Dr. Schilling Berolinensis casum quendam publici juris fecit, in quo malleus in hominem translatus fuerat. Qui casus, quamquam tunc omnium animos ad se convertit, tamen, quum veterinarii ad id tempus nunquam accidisse affirmarent, ut malleus in hominem propagaretur, neque se ipsos unquam aut famulos equarios vel in equorum isto malo laborantium curatione vel in cadaverum sectione contagio infectos esse, parum sibi fidei conciliare potuit. Verumtamen non diu is casus unus ac solitarius mansit, sed brevi longa ei similium exemplorum adnexa est series, quae partim in Germania, partim in Italia, partim in Francogallia Angliaque et Russia observata usque ad aetatem recentissimam descendunt.

Casus primus²⁾.

J. Michelsohn, rusticus, corporis constitutione robusta praeditus, musculosus, e praedio Wassula oriundus, qui longius per tempus equi malleo affecti curam gesserat,

tunc saepius frigoris accessionibus vexatus fuerat, quibus brevi capitis obnubilatio, doloresque acerrimi coxae sinistrae successerant, qui in interna femoris parte usque ad suras pertinentes extremitatis motionem difficilem reddebant. Regio articulationis coxae tumefacta, pressu exhibito, dolores ciebat, nec non in profundo fluctuatio obscura persentiri poterat. Cutis temperatura adaucta, pulsus febrilis, genae rubore circumscripto tinctae, oculi inertes, lingua non oblecta quidem, sed sicca, ciborum appetentia commoda, sitis acris, respiratio accelerata erant. Aegrotus, qui quoniam morbo laboraret, non statim cognitum fuerat, ob coxae affectionem anno 1849 d. m. Martii 12 in nosocomium chirurgicum inter aegros stationarios receptus fuit. Cura antiphlogistica adversus coxae affectionem instituta exiguum successum habuit, et capitis obnubilatione atque debilitate magis magisque augescentibus et pulsus celeritate accrescente. Die m. Martii 17, quum in facie brachiisque ac pectore exanthema istud peculiare prorumperet, aegrotus, ut quem malleo humido laborare constaret, in therapeuticam nosocomii Dorpatensis partem transportatus fuit. Pustulae variis evolutionis stadiis erant, inter pisi nucisque magnitudinem variantes, atque in area rubicunda procrecentes umbilico instructae cernebantur. Exanthema magis magisque auctum per totum corpus diffusum est, qua in re, feбри magis magisque indolem torpidam accipiente, aegrotus, debilior debiliorque factus, d. m. Martii 18 mortem occubuit.

Cadaveris sectio totum corpus, praesertim vero faciem, thoracem, brachia, pustulis ejusdem, qua nuces sunt, magnitudinis, pure sordido subflavo vel fluido pellucido lentoque impletis, obsita ostendit. Sub fluido isto pustulae discum deplanatum, pisum sat magnum magnitudine aequantem, atque in cutem ipsam immersum, continent, qui e massa solida subflavaque ejusdem, qua tela fibrosa est, densitatis consistit. In sinistrae coxae articulatione abscessus adest, sanie quadam sordida subfusca impletus. Pia mater solida est, substantia cerebri lenta multisque parvis punctis sanguineis trajecta; ventriculi laterales paulum seri subrubri continent, plexus choroidei speciem pallidam offerunt. Pulmo dexter maculis fuscis tinctus ubique, si dissectus est, infarctus atque tum in superficie, tum in partibus internis magnam massarum caseosarum, colore subflavo imbutarum eademque, qua

1) Waldinger, Wahrnehmungen an Pferden. Wien 1810, p. 95

2) Archiv der chirurgischen Abtheilung der Universitäts-Klinik zu Dorpat, 1849. Wistingshausen, dyscrasia farcimiosa.

nuces avellanae sunt, magnitudine praedictarum, copiam ostendit, ex quibus massis nonnullae parte media emollitae sunt. Pulmo sinister, parte superiore infiltratus, deorsum versus sanguinis expers, si dissectus est, ubique similes massas, ac pulmo dexter, ex parte pariter emollitas, offert. Cor normale est, hepar amplificatum ac sanguine repletum, splen auctus, si dissectus est, maculas pyramidales lucidas ostendit. Glandulae mesentericae tumefactae colorem induerunt ex violaceo rubrum. Pharyngis laryngisque membrana mucosa morbose affecta est, et ad lateris dextri arcum glosso-palatinum ulcus marginibus reflexis durisque circumdatum reperitur, in cujus fundo massa quaedam illi, quae in pulmonibus inventa est, simillima cernitur. Circa epiglottidem secretum mucosum fibrinumque pellucidum, uno loco in pseudomembranam coagulata, accumulata sunt.

Casus secundus ¹⁾.

Rennspiess, annos 34 natus, constitutione corporis robusta, qui prius miles fuerat, quum famuli in schola veterinaria Berolinensi munus suscepisset, ibi in equorum malleo humido laborantium cura versatus, brevi, postquam munere illo fungi coeperat, aegrotavit. Antequam vero morbus erumperet, sex hebdomadum spatio symptomata catarrhalia rheumatica ingruebant, quibus lassitudo, vertigo capitisque obnubilatio se comites adjunxerunt. Praeterea sub oculo sinistro stria rubicunda et ad lateris ejusdem alam nasi macula rubra, obolum argenteum magnitudine aequans, apparuerunt, quae quidem paulo post confusae sunt. In loco rubeo nasi paulatim tumor colore intense rubro imbutus existit, qui inde per totam fere faciem diffusus est. In quo tumore pustulae ejusdem ac pisa magnitudinis, fluido ex rubro caeruleo expletae, exortae sunt, quae marginibus duris circumdatae erant. Et tumor et vesiculae magis magisque auctae sunt, nasi apex sphaecelosis existit atque ex naso sanies acris foetidaque effluxit. Simul et febris magis magisque indolem adynamicam induerat et lingua sicca obtecta erat, ac gluttitio impedita viresque magnopere debilitatae fuerunt. Quamquam remediis tum externis tum internis

1) Rust's Magazin 1821, p. 460. Ein Fall v. Rotz bei Menschen, von Dr. Schilling, 1812.

in usum vocatis, tamen et gangraena et pustularum formatio ulterius ulteriusque progressae sunt. Itaque labium superius nasusque gangraenosa facta sunt, respiratio difficillima, spiritus foetidissimus fuit, alvique copiosae evaserunt, odorem pestilentiosum spargentes. In antibrachio crureque maculae rubicundae apparuerunt, in quibus pustulae fluido impletae exortae sunt, quo facto, aegrotus die octavo phaenomenis decompositionis sanguinis putridae exstinctus est.

Sectio cadaveris praeter universalem sanguinis decompositionem, hepatis indolem marcidam, massamque gelatinosam subflavam sub sternum effusam, loca faciei affecta gangraenam destructa adeoque ossa nasi affecta ostendit.

Casus tertius ¹⁾.

Agaso robustus, ulcere in manus dorso posito laborans, equi malleo humido laborantis curam gessit, qua in re saepe vulnus illud muco ex equi ore manante aspersum est. Octo diebus elapsis agaso aegrotare coepit, dolores in diversis corporis partibus perceptos, lassitudinem, symptomata gastrica, sudores nocturnos conquerens. Quae symptomata per sex hebdomades eadem manserunt, ingenti debilitate etiam diarrhoeaque et deliriis accedentibus. Inde doloribus membrorum deliriisque auctis, tumor coloris subcaerulei in digito indice manus sinistrae tumoresque similes in pedis dextri malleolis, in fronte media et palpebra dextra exstiterunt. Neque tumores illis, quae diximus, locis continebantur, sed in trunco atque extremitatibus quum superioribus tum inferioribus magna pustularum tumorumque multitudo erupit. Qui tumores omnes sensim emolliti colorem subfuscum induerunt, quo adde, quod ex naso materia spissa subflava effluxit, nares in gangraenam abiire, labia dentesque sicca ac sordida evaserunt, febrisque, hujus status comes, magis magisque ad indolem torpidam inclinavit. Denique hebdomade nona, symptomatibus universae debilitatis ingruentibus, mors secuta est.

Cadaveris sectione instituta, tumor in fronte positus massa quadam glutinosa impletus cernebatur et in tela cellulosa supra pericranium massae exiguae, rotundae, tuber-

1) Williams: Case of acute Glanders from infection. The London med. and. surg. 1833 pag. 156.

culis similes, partim duriusculae, partim molles repertae sunt. Nasi cavum idem pus easdemque massas continebat, nec non in larynge parvi tumores inerant. Prope valvulam coli noduli quidam massa caseosa impleti adfuerunt.

Casus quartus¹⁾.

Juvenis annorum 20, qui equi malleo humido correpti curam habuerat, brevi tempore clapso, febrim tonsillarumque et glandularum submaxillarium lateris sinistri intumescuntiam conqueri coepit. Facies quoque ab eodem latere inflammari ac tumescere incepit maculaeque et pustulae rubicundae in diversissimis corporis partibus erupere. In tonsilla affecta vesicula apparuit, quae brevi in ulcus abiit. Tum demum dolores lacerantes in variis corporis partibus, deliria sudoresque exstiterunt, et magna vesicularum pustularumque, magnitudine dimidium pollicem aequantium, multitudo per totum corpus, imprimis per dorsum, dispersa est, quae vesiculae, quum primum aquam continuissent, paulo post pus emittebant. Ex naso fluidum purulentum scaturiebat, quod tamen quum mox haesitasset, pus ex ore profluere coepit. Spiritus foetidus exstitit, vires aegroti magis magisque collapsae sunt, et, postquam faciei intumescuntia etiam partem dextram obtinuit, die duodecimo mors ingruit.

Sectio. cadaveris membranam mucosam laryngis inflamatam coloreque livido imbutam, in trachea plurimas vesiculas, et in pulmonum superficie pustulas permultas partim solitarias partim confertim positas obtulit.

Casus quintus.²⁾

N. agaso, annos 58 natus, quum aliquamdiu in stabulo humido, in quo etiam equus, malleo humido affectus, tenebatur, dormivisset, repente, dum ceteri agasones, qui in eodem stabulo versati fuerant, optima valetudine utuntur, aegrotavit, ac dolores lacerantes, anorexiam, lassitudinem conqueri coepit, quo inde deliria, linguae siccitas pulsusque frequentia accesserunt. In diversis corporis partibus pustulae tumoresque apparuerunt, quorum posteriores, cute superjecta omnino non mutata, neque quidquam doloris movebant,

neque ullum fluctuationis vestigium prodebant, at postea tamen in gangraenam abierunt. Qui tumores, diversa magnitudine praediti, in tela cellulosa subcutanea, praesertim dorsi femorisque et cruris, sedem habebant. Pustulae vero per omnes corporis partes dispersae erant, nonnullaeque earum in ulcera parva fundo ichoroso marginibusque elatis praedita transierant. In pene locus quidam gangraena affectus est, quae mox totam glandem obtinuit. Cutis dura siccaque, muscoli laxi, lingua sicca fuscaque, pulsus acceleratus, expectoratio copiosa, sputa subnigra erant. Denique, coma ingruente, aegrotus mortem occubuit.

In cadaveris sectione pulmones complura eaque non tam ampla loca pure repleta obtulerunt, et septi nasi sinuumque frontium membrana mucosa incrassata, hic illic rube facta et granulationibus oblecta apparuit. Eadem epiglottidis, laryngis, tracheae species erat, dum cetera organa omnino normalia cernebantur.

Casus sextus¹⁾.

J. B. Leclerc, annos 32 natus, ab equo malleo humido laborante, cujus cura ipsi mandata erat, femur percussus est, cujus ictus sequelae tamen jam aliquot dierum spatio evanuerunt. At ex illo tempore nullo ciborum appetitu ducebatur, tristitiaque captus de doloribus lacerantibus, de febris acerrima, linguae siccitate, somnolentia, abdominis intumescuntia conquerebatur. Inde, viginti tribus diebus post ictum illatum elapsis, tumor in gena, colore intense rubro tinctus, exstitit, qui ejusdem lateris palpebras frontemque occupabat. Accesserunt praeterea surditas, purpura per pectus abdomenque diffusa, sudores frigidi, muci ex naso effluvium, palpebrarum secretio purulenta, alvi dejectiones non voluntariae, decubitus. Sic, viribus paulatim deminutis, mors sexagesimo morbi die ingruit.

Sectione cadaveris instituta, tumores, incisione facta, telam griseam conspissatam, sub cultro stridentem et infiltrationibus massarum tuberculosis similium praeditam, ostenderunt; quae massae etiam inter musculos depositae cernebantur. Nasi membrana mucosa rube facta granulationibus

1) Grave: A case of acute Glanders. Clinical Medicine 1843, p. 717.

2) Fall von acutem Rotz und Wurm, mitgetheilt von Jeanselme: Schmidt's Jahrbücher 1838, Bd. 17. p. 175.

1) Lefebvre et Blanche: Observations de morve aiguë chez l'homme. Gazette des hôpit. civ. et milit. 1842. pg. 105.

pustulisque et ulcerationibus oblecta erat, nec non in antro Highmori fluidum perlucens ex flavo albidum inerat. Tonsilla dextra fluidum puri simile continente, sinistra aperturas 5—6, satis profundas offerebat; tela cartilaginea sub cultro stridebat. Velum palatinum uvulaque rubefacta ulcerationibusque obsita erant, in trachea bronchiisque fluidum sanguineum spumosum inventum est. Pulmo sinister adhaesiones atque in superficie tumores ostendit, qui aut solidi, fibrocartilaginosi, aut massa quadam friabili tuberculosae simili compositi erant. In pulmonis apice abscessus ejusdem ac nux magnitudinis, massa tuberculosae simili repletus, circa abscessus minores in conspectum venerunt. Pulmo dexter parvas commutationes subierat. In pericardio multum repertum est seri, cor decoloratum nec ita solidum apparuit; hepar et lien renesque amplificata erant, atque in vesicae urinariae membrana mucosa maculae rubrae, in cerebro sanguinis abundantia repertae sunt.

Casus septimus ¹⁾.

Praefectus militum, qui in equorum malleo farciminoso correptorum curatione aegrotare coeperat, dolores lacerantes, in extremitatibus inferioribus perceptos, tumoremque cruris dextri, qui sero demum apertus est, conquerebatur. Brevi in diversis corporis partibus tumores apparuerunt, praeter quos etiam noduli parvi, halone rubente circumdati, et loca ecchymatosa tum faciei tum aliarum corporis partium, quae mox in gangraenam transierunt, exorta sunt. Febris morbum comitans indolem omnino torpidam induit, quo facto, aegrotus, postquam amplius tres menses laboraverat, vita decessit.

Sectione cadaveris facta, nasi cava pseudomembrana obducta cernebantur, quae usque in laryngem tendebat. Praeterea massa mucosa iis inerat, membrana mucosa colore ex caeruleo rubro imbuta et incrassata multisque ulcerationibus oblecta. In pharynge cuteque noduli, in tela cellulosa ac substantia musculari accumulationes puris diversi coloris diversaeque soliditatis inventae sunt. In pulmonum super-

1) Guyon: Memoire sur une cas de farcin. Comptes rend. de l'acad. des scienc. Tom. XVII. 1843

ficie similes noduli atque in cute reperti sunt, in eorum substantia puris accumulationes tales, quales in musculis.

Adnotatio. Substantia, quam pustulae continebant, mulo duabusque equis inoculata est. Altera equarum mulusque malleo farciminoso correpti sunt; equus, cui sanguis praefecti militum inoculatus fuerat, mallei humidi phaenomenis mortem comitantibus, periit.

Casus octavus ¹⁾.

Agaso, annos 36 natus, qui, quum equorum malleo laborantium curam gereret, ab uno eorum ictus fuerat, brevi dolores gravissimos eximiamque lassitudinem querebatur; quibus mox coryza levior comitem se addidit. Pharynx inde dolores ciere incepit, quibus dysphagia, doloresque brachiorum crurumque vehementissimi accesserunt. Tribus deinde diebus circumactis, et brachia et crura tumoribus obtineri coepta sunt, ceteris, quae diximus, symptomatibus cessantibus. At brevi macies viriumque deminutio ac febris doloresque capitis et tumores dolorifici ac fluctuantes in variis corporis partibus siti exstiterunt. Postea demum exiguum exanthema in naso, partisque anterioris cavi nasi inflammatio, ac sitis acerrima cum diarrhoea, virium collapsu, deliriis ingruerunt, quo facto, aegrotus mortem obiit.

Cadaveris sectio abscessus in musculis, qui in thorace ad cavum pleurae penetrabant, pulmonis sinistri emphysema, veteres cum pleura adhaesiones, exsudatum serosum non ita copiosum ostendit. Hepar et splen amplificata atque emollita erant, cavi nasi membrana mucosa partim integra, partim rubefacta, hic illic et oedematosa cernebatur.

Adnotatio. Morbo durante, pus cani inoculatum erat, qui malleo farciminoso correptus est.

Casus nonus ²⁾.

Nicolaus Coquet, annorum 37, qui septimum jam annum agaso persaepe equorum malleo affectorum curam gerebat, d. m. Octob. 4 in morbum incidit. Qua in re horripilationem, anorexiam, lassitudinem, dolores lacerantes dorsi

1) Farcin aiguë observée par Guenau-Myssy. Gazette des hôpitaux civ. et mil. 1842. Nr. 156.

2) Observations de morve aiguë par M. J. Jadioux. Gazette des hôpitaux civ. et mil. 1843. P. 593.

et articularum querebatur. Antea etiam sputa spissa ac mucosa ejicere coeperat, quae tamen tunc jam evanuerant. Lingua laevis ac sicca erat, cutis humida, abdomen tumefactum. Aegrotus admodum inquietum se exhibuit, febris tamen lenior fuit. Aliquot diebus transactis, d. m. Oct. 14 exanthema pustulosum, variolae simile, primum in collo atque extremitatibus, exortum est, quod brevi tempore tamen per totum corpus diffunditur. In nasi orificio dextro crustae quaedam duriusculae subfuscae juxtaque eas postula parva albida apparuere. In crurum facie inferiore et interna tumor durus, profunde situs, exstitit, eadem, qua nux est, magnitudine praeditus. Vires aegroti magis magisque collapsae sunt febrisque indolem adynamicam prae se tulit. Cutis viscida humidaque, respiratio accelerata erat. Aegrotus d. m. Octob. 27 obiit.

Sectio cadaveris ab utroque musc. vast. interni latere circiter 40 abscessus ostendit, quorum magnitudo inter capitibus acus et nucis juglandis magnitudinem variabatnr. Quibus abscessibus pus subflavum massaeque caseosae ejusdem ac tubercula mollescentia soliditatis inerant. Iidem abscessus in brachiis cruribusque, neque vero in abdomine reperti sunt. Cor pallidum laxumque erat. Pulmones in lobis inferioribus loca hepatizata, nucibus magnitudine aequantia, offerunt, quae parte media jam emolliri coepta sunt. In cerebro duraque matre copiosum inest exsudatum, cerebri substantia a norma non recedente. Pharyngis membrana mucosa rubefacta atque torosa apparet; in larynge erosio superficialis conspicitur. Cavi nasi membrana mucosa multis pustulis et ulcerationibus obsita est, quarum margines elevati cernuntur.

Casus decimus¹⁾.

Simon Delaune, annos 32 natus, mango equarius, quum jam per dies 15 de membrorum doloribus lacerantibus, de lassitudine, anorexia capitisque dolore questus esset, anno 1842 d. m. Januarii 15 in nosocomium Hôtel Dieu dictum receptus est. Mox in sura sinistra tumor ejusdem, cujus ovum est, magnitudinis, atque in interna cruris dextri superficie tumor alter isque major et fluctuans atque dolorificus exstiteret. Pulmo sinister in percutiendo sonum ob-

1) Observations de morve aiguë par Imbert-Gourbeyre: Gazette des hôpit. civ. et mil. 1843, p. 594.

tusum reddidit, in auscultando respiratione bronchiali audita. Facie sensim ac paulatim commutata, aegrotus perpetuo delirabat, pulsu debili atque irregulari, vultu rigido, respiratione oppressa. Sudor viscidus erat. Mors d. m. Januarii 15 ingruit.

Cadaveris sectione facta, tum in femoris crurisque musculis tum in antibrachio sinistro tumores fluctuantes inventi sunt. In pulmonis dextri lobo infimo phaenomena congestiva, in lobo medio exsudata solida ejusdem ac nucis avellanae magnitudinis, jam in pus transeuntia, deprehensa sunt; in pulmonis sinistri superficie abscessus pure caseoso impletus adfuit, sub quo pleura laevis et sanguine repleta apparuit, dum in parte interna hepatizatio millimetrum 7 — 8 cum massis albidis huc illuc inspersis animadvertitur. In cavo cranii exsudatum inter cerebrum tunicamque arachnoideam interjectum adest.

Casus undecimus¹⁾.

Adelaide James, annos 47 nata, quamquam nec cum agasonibus nec cum equis malleo humido affectis in ullum unquam contactum venerat, neque cognosci poterat, unde hunc morbum contraxisset, tamen malo isto foedissimo affecta est. Die m. Maji 30 dolores lacerantes acerrimos in articulis perceptos, nauseam, cephalalgiam, horripilationem conqueri coepit, quo facto, die decimo in crure dextro pustula alba halone rubente cincta exstitit, quae in ulcus mutata est. Aliquot diebus post in cruris ejusdem superficie posteriore rubor erysipelatosus, qui usque per pedes extendebatur, apparuit. Brevi in extremitatum articulis tumores duriusculi nati sunt, qua in re pulsus acceleratus, lingua sicca, vires collapsae sunt caputque vehementer dolet. Status inde in dies in pejus conversus est, et novis continuo tumoribus exortis, dum vetustiores mollescunt et pus aquosum emittunt, et pustulis variolae similibus per totum corpus diffusis. Lingua siccessit, abdomen meteorice intumescit, caput obnubilatur, petechiae in pectore sitae, palpebrarum, quae vesiculis subnigris obiectae in gangraenam abeunt, erysipelas, pustulaeque in alarum nasi membrana mucosa ac diar-

1) Mémoires sur un cas de morve aiguë, par M. Tessier: Gazette des hôp. civ. et mil. 1852, p. 426.

rhoea existunt. Aegrotata d. m. Junii 24 in nosocomio mortua est.

Sectione cadaveris facta, corporis superficies magnam tumorum multitudinem, quorum nonnulli in ulcera permutati erant, pustulas vesiculasque fluido purulento repletas maculasque erysipelatosas faciem obtinentes obtulit. Abscessus in musculis telaque cellulosa submucosa sedem habuerunt. Cerebrum integrum est, dum nasi membrana mucosa et rubefacta et emollita nonnullis locis granulationes atque erosiones, pure obiectas, ostendit. Pharyngis membrana mucosa similem prae se fert speciem, pulmonibus sanguine nigro infiltratis. In ventriculo ecchymosis magnitudine rubelum aequans conspicitur, intestinorum membrana mucosa paululum sanguine repleta.

Adnotatio. Pus ex ulceribus exceptum equo sano inoculatum est, qui decem diebus elapsis mallei humidi phaenomenis periit.

Casus duodecimus¹⁾.

Duriaux, auriga annos 44 natus, constitutione corporis lymphatica, articulationum doloribus lacerantibus, cephalalgia, colica, diarrhoea, anorexia, meteorismo vexatus est, viribus deminutis, pulsu frequenti, cute calida siccaque et sensibili. Qui status, per dies 8 continuatus, in dies intolerabilior existit, in processus xiphoidei regione et in articulatione humeri pustulis exortis, quae, magnitudine lentibus pares, halonibus rubris cinctae, in pressando fluidum ex subflavo rubicundum emittebant. In brachio tumores dolorifici nascuntur. Nasi membrana mucosa rubet fluidumque serosum, quod postea mucosum spissumque fit, secernit. In cavi nasi dextri septo parva invenitur pustula, dum cavum nasi sinistram excoriatum apparet. In dextro faciei dimidio palpebrae nasusque tumorem erysipelatosum offerunt, oculusque et palpebrae admodum inflammata mucum lentum secernunt; in fronte tumor, in gangraenam transiens, conspicitur. Respiratione valde impedita, toto pectore crepitatio auditur. Inde, suffocationis symptomatibus ortis, aegrotus die sexto decimo, postquam morbus erupit, mortem occubuit.

1) Morve aiguë chez l'homme par Bricheteau: Gaz. des hôpit. civ. et mil. 1845.

Sectio cadaveris in extremitatibus superioribus pustulas pure repletas, in musculis telaque cellulosa tumores pariter pus continentes in conspectum dedit. Septi nasi membrana mucosa rubefacta ac tumida striisque sanguineis trajecta pustulis mucoque purulento obiecta est, ulcerationibus quoque et membranae mucosae fragmentis inventis. Pharyngis membrana mucosa rubefacta est, in pulmonibus nulli abscessus adsunt.

Casus tertius decimus¹⁾.

Jacques Grude, auriga, annos 58 natus, octo diebus, postquam aegrotare coeperat, d. m. Decembris 10 in nosocomium Hôtel Dieu nominatum receptus fuit. Aegroti lassitudo permagna est, maculae ecchymoticae caeruleae genas manuumque articulos, tumores phlegmonosi brachia atque crura obtinent. Qui status quum per aliquot dies tenuisset, et coma accessit et magna tumorum multitudo exstitit, quo facto, aegrotus d. m. Dec. 13 morte obiit.

Cadaveris sectio in musculis telaque cellulosa subcutanea multis locis pus accumulatum, nasi membranam mucosam et rubefactam atque pustulis atque ulcerationibus massaque purulenta obiectam, pulmones hic illic hepatizatos, jam jam mollescentes, totosque maculis subcaeruleis trajectos ostendit.

Casus quartus decimus²⁾.

Langrais, artis operum venditor qui et setas equinas vendebat, corporis constitutione robusta, quum pleuropneumoniae symptomatibus affectus esset, d. m. Januarii 30 in nosocomium Hôtel Dieu appellatum receptus est, jam ex dierum 17 spatio dolores rheumaticos conquestus. Quamquam apta curatione adhibita, tamen, aegroti status in dies in pejus vertebatur, viribusque ejus valde debilitatis, deliria quoque ingruerunt et in corporis superficie maculae erysipelatosae abscessusque et pustulae eruperunt. In sinistro faciei latere tumor coloris ex caeruleo rubicundi evolutus est, qui

1) Morve aiguë chez l'homme par Noble, Gaz. des hôp. civ. et mil. 1847, pag. 107.

2) Observations de morve aiguë par Vigla, Gaz. des hôp. civ. et mil. 1847, pag. 154.

inde a naso ad palpebras usque tendebat. Oculus valde manabat lacrimis nec non in lateris ejusdem supercilio pustula parva apparuit. Septi nasi membrana mucosa, in latere sinistro rubefacta mucoque viscido alboque obiecta erat, dum in latere dextro rubefacta quidem, at sicca cernebatur. In trunco et extremitatibus tum superioribus tum inferioribus maculae pustulaeque colore sordido rubicundo imbutae, in extremitatibus etiam diversae magnitudinis abscessus in conspectum venere. Deliriis vehementia auctis, pulsus frequentia accrescente, ita ut ictus 108, postea ictus 140 in sexagesima numerarentur, calore ardentissimo, respiratione valde accelerata, abdomine tumefacto, alvo obstructa, mors d. m. Februarii 2 ingruit.

Sectio cadaveris sinistri cavi nasi membranam mucosam tum rubefactam, tum muco crasso, qui ad pseudomembranae similitudinem prope accedebat, obiectam maculisque ecchymoticis distinctam mollitamque, hic illic etiam pustulis parvis albidisque obsitam, obtulit. Cavi nasi dextri membrana mucosa, rubefacta et emollita, pustulis pureque obiecta erat. Pharyngis laryngisque membrana mucosa rubefacta cernebatur. Lateris sinistri cavum pleurae fluidi serosi copiam praebuit; pleura diaphragmatica pseudomembranis, quae jam in eo erant, ut dilaberentur, obiecta fuit, pleura pulmonalis magnam ulcerationum subrotundarum diversae magnitudinis copiam obtulit, quae margine elato cinctae et indumento purulento pseudomembranoso obductae erant. Pulmonis dextri lobo superiori octo prominentiae rotundae indurataeque ac nodosae ejusdem, qua pisa sunt, magnitudinis erant, totidem hepatizationibus conformatae. In eodem lobo etiam massa quaedam cistae inclusa inerat. Pulmonis dextri lobus superior multo sanguine repletus est. Hic quoque in pleura pseudomembranae inventae sunt, nec non inter pleurae laminae pus accumulatum adfuit. In musculis abscessus reperti sunt, membrana cincti.

Casus quintus decimus ¹⁾.

N., ciliciorum fabricatrix, annos 41 nata, d. m. Junii 8 in nosocomium recepta fuit. Jam inde a d. m. Maji 30

¹⁾ Morve aiguë d'veloppée chez une matelassière observ. par M. Duclos, Gazette des hôpit. civ. et mil. 1847, p. 449.

neuralgia intercostali laboraverat, quae mala, vesicatoriis adhibitis, brevi evanuerant. In paroxysmo postremo simul genus sinistri dolores tumorque ac rubor, febris acerrima deliriisque stipati, exstiterant. Cutis calida siccaque erat, faciei color ictericus, vultus suspensus incertusque, oculi sanguine impleti. Ejusdem modi tumores, atque in genu, etiam in brachio pedequae apparuerunt, nec non exanthema variolae simile in variis corporis partibus erupit. Faciei cutis jam hic illic gangraenosa exstitit, dum alia loca pustulis obseruntur. Animus magis magisque sui impos factus est, viresque in dies debiliores exstiterunt, quo statu d. m. Junii 12 aegrota spiritum ultimum exhalavit.

Sectione cadaveris facta, cavi nasi membrana mucosa nonnullas ulcerationes superficiales, in genus articulatione magnam puris copiam in tumoribusque sub cute positus pus sanguine commixtum ostendit.

Adnotatio. Pus ex ulceribus exceptum a Leblanc equo inoculatum est, qui malleo humido succubuit.

Casus sextus decimus ¹⁾.

Faber lignarius, annos 25 natus, qui supra equile, cui equi malleo humido laborantes inerant, dormiverat, praetereaque famulo equario, cui equorum cura mandata erat, familiariter utebatur, anno 1852 d. m. Novemb. 20 solitis istis phaenomenis, quae malleus humidus prodromorum stadio prae se fert, laborare coepit. Inde quum d. m. Nov. 25 in nosocomium acceptus esset, faciem rubefactam, nasum tumidum dolentemque obtulit, quo accessit, quod subinde fluidum male olens secernebatur. Lingua intumuerat, uvula rubefacta erat, glottitio impedita, sitis acerrima, respiratio perdifficilis atque magno strepitu conjuncta, pulsus durus, cutis calida. In palpebris genaue pustulae albae, halone rubente circumdatae apparuerunt, quales etiam in cubito conspiciuntur. Vires magis magisque debilitantur, animus sui impos evadit, pustulae latius latiusque diffunduntur et fluidum griseum, striis sanguineis trajectum, emittunt. Abdomen plurimum doloris ciet, spasmi accedunt, denique d. m. Nov. 28 mors ingruit.

¹⁾ Leçons cliniques sur un cas de morve terminé d'une manière insolite par Valleix Gazette des hôpit. civ. et mil. 1852, p. 581.

Sectio cadaveris nasi membranam mucosam emollitam relaxatamque et colore subcaeruleo tinctam ac prominentiis obsitam ostendit, quae eminentiae eadem qua acuum capita, magnitudine praeditae in parte media massam albidam cretae similem includunt. Tota membrana mucosa muco lento ac griseo obducta est. Pharyngis membrana mucosa easdem commutationes offert.

Casus septimus decimus, duodevicesimus, undevicesimus, vicesimus ¹⁾.

Jac. Sobakofsky, Maxim Petuchow, constitutione corporis robusta, Jac. Gretsckin, annos 27 natus debilisque, Gordei Krawtschenko, milites in parte Russiae meridionali stativa habentes, malleo humido acuto affecti sunt, causis tamen, quibus contagium propagari potuisset, non cognitis. Solos Gord. Krawtschenko et Jac. Gretsckin quod attinet, illum priorem satis constabat in equis affectis in genere ideoque etiam equo malleo humido laborante curandis versari, alterumque cum eo in uno eodemque vico vivere, qui a duorum, quos priores diximus, domicilio procul aberat. Prodromorum stadium in iis satis celeriter decurrit, quippe quod in G. K. unum diem, in M. P. robustiore dies 4, in reliquis duobus perbreve tempus teneret. Constitit autem hoc stadium in horripilationibus sequentibusque inde calore et sudore, in summa lassitudine doloribusque gravissimis totum corpus obtinentibus; quibus sitis acerrima, oris siccitas, anorexia, gustus amarus, lingua substantia albida obducta accesserunt. Brevi tamen febris continuo indolem erethicam et synochialem prae se ferebat, doloresque certis corporis partibus, praesertim extremitatibus pectoreque et hypochondrio, continebantur. Duo aegrotorum dolores pungentes in humeri articulatione et sub scapula perceptos conquerebantur, in uno eorum dolores pectus atque hypochondrium, in ultimo, nempe in Gretsckin, dolores extremitates inferiores occupabant. In ultimo surae tumefactae erant et contactae dolores movebant. Periodo secunda in-eunte, pulsus plenus ac frequens, ut in febris fit, excitator, somnus inquietus, deliriusque interruptus, os nasusque sicca,

1) Acuter Rotz bei Menschen, v. Petrussewitsch in: Medicin. Zeitung Russlands v. Heine, Krobels und Thielemann, 1855. Nr. 14.

caput obnubilatum, aspectus cachecticus fuit. Jam in quatuor aegrotis pectoris affectio exstitit, respiratioque impedita et crepitationibus tussisque comitata fuit; qua in re expectoratio mucum cum sanguine commixti non ita copiosa erat. Percussio sonum acutum reddit, excepto M. P., in quo quidem sonus in pulmonis lobo posteriore et inferiore obtusus est. Pulsus paulatim decrescens debilis celerque existit, cutis valde sensibilis fit, nec non in duobus aegrotorum, biduo antequam exanthema prorumperet et symptomata cavi nasi fauciumque apparerent, profusi sudores oriuntur. Deinde tumores subcutanei in variis corporis partibus nascuntur, ejusdem, qua ova columbina sunt, magnitudinis, intus pus continentes, quod semel emissum non reparatur. Simul et exanthema forma vesicularum, papularum, bullarum, pustularum erupit, praesertim faciem, pectus, extremitates obtinens. Quod exanthema iis ortum est locis, quibus antea maculae majores minoresve, colore ex violaceo rubro tinctae, primum fluido pellucido repletae, adfuerant, quod fluidum mox turbidatum in crustam exsiccavit. Quae phaenomena quum primum orta sunt, i. e. a periodi tertiae principio, dolores intolerabiles omnino cessant, auditus visusque obtunduntur, respiratio retardatur, tussis vel deminuitur vel omnino desinit, labia muco sicco fuscoque obteguntur, nasi cavum ob membranae mucosae commutationes coarctatur, mucus purulentus, sanguine intermixtus, jam per os excernitur, virium debilitas magis magisque augetur, aegroti mentis suae non compotes sunt. Ultimis morbi diebus aegrotorum facies horrendum in modum mutatur, namque, facie tumefacta, palpebrae dependent, nasus inflatur, respiratio impedita et oppressa est. Pulsus debiliior debiliiorque evadit, quo facto l. S. die 28, M. P. d. 16. G. d. 17. G. K. d. 12 ex morbi initio mortem occumbunt.

Cadaverum sectione instituta, in variis corporis partibus tumores, pure sanguineo repleti, tum telae cellulosae tum substantiae musculari immersi cernuntur. Testis sinister volumine haud parum amplificatus est, tunicaeque ex colore intense caeruleo rubescentes sanguine opletae sunt. Cranium non apertum est, nisi in duobus, qua in re sinus durae matris sanguine aquoso coloris violacei impleti, sub tunica arachnoidea autem fluidum serosum decolor inveniuntur. In duobus pneumonia lobularis reperta est; ad hoc pulmones

hic illic hepatizati cavum pectoris implebant. Pulmonum peripheriam versus abscessus inter pisi nucisque magnitudinem variantes mucumque spissum atque aequabilem, sanguine mixtum, continentes observati sunt. In M. P. cadavere pulmonis lobus anterior anaemiam, lobus posterior inferiorque pneumoniam hypostaticam valde evolutam obtulit. Cor heparque in eo sunt, ut in adipem mutantur; splen et amplificatus et diruptu facilis est.

T A B U L A

jam proponenda tum morborum historias supra enarratas, tum casuum aliorum in diversis terris de malleo humido et farciminoso observatorum seriem continet; qua in re admonendum est, ubicunque signum — posuerim, ibi verbum supra id signum positum me denotatum voluisse.

Nomen.	Aetas.	Genus.	Constitut.	Conditio aegroti.	Contagionemodus.	Morbiforma.	Spatium morbi.	Stadium incubat.	Exitus.	Annus observat.	Auctores.
1 Rennspiess	34 a. n.	vir	robusta	stabularius	per infectionem.	malleus humid. ac	8 dies	6 hebdom.	mors	1812	Schilling: Rotz bei Menschen durch Uebertragung. Rust Mag. 1821. Bd. XI. p. 480.
2 Kliesch	19	—	debilis	agaso	—	—	44 dies	—	—	1825	Weiss: Uebertragung des Rotzes der Pferde auf Menschen. Rust Mag. Bd. XI. p. 504.
3 Couderc	—	—	robusta	stabularius	per inoculationem.	mall. farcim. ac.	16 dies.	4 dies	—	1829	Vogel: Morve chez l'homme. Journ. de med. veterinaire 1825. Janvier.
4 Selve	—	—	debilis	scholae veter. alumnus	—	mall. hum. ac.	2 mens.	—	—	1829	Diss. inaugural. cas. sing. morbi contagio mall. hum. in hom. transl. orti. 1829
5 N.	—	—	robusta	stabularius	per infect.	—	3 hebd.	6 hebd.	—	—	Williams: Acute glanders observed in man. The London med. and surg. great Journal. 1833 p. 156.
6 Rohde	40	—	—	—	—	—	4 dies	—	—	1835	Dr. Wolff: Ueber die durch Uebertragung des Rotzcontagiums der Pferde auf Menschen erzeugte Krankheit. Med. Ztg. Jahrg. 6. Nr. 1. 1835.
7 N.	17	—	—	—	—	mall. hum. chron.	4 mens.	3 hebd.	—	—	Hardwicke: A case of chronic glanders in men caused by infection. Brit. Annals of medicine 1837. p. 196.
8 N.	—	—	robusta	veterinarius	per inocul.	—	15 mns	3 hebd.	sanat. incompleta	1837	Gras: Un exemple de morve chez l'homme. Revue medicale francaise et etrangere 1837. p. 80.
9 N.	12	—	—	stabularius	per infect.	—	11 mns.	25 dies	mors	—	Wiggins: A case of chronic gland in man. The Americ. Journ. of the med. 1837.
10 N.	43	—	debilis	—	—	—	14 mns.	1 mns.	—	—	Hardwicke: A case of chronic glanders in men caused by infection. British Annals of medicine 1837. p. 196.
11 Rudorff	25	—	—	miles	—	mall. farcim. ac.	8 dies	3 dies	—	1830	W. Eck: Beitr. zu d. Erfahrung. üb. d. schädli. Einwirk. des Rotzgiftes auf Menschen. Repert. für Med. u. Chir. von Kleinert, 1837. Heft 7.

Numerus.	Nomen.	Aetas.	Genus.	Constitut.	Conditio aegroti.	Contagio nis modus.	Morbi forma.	Spatium morbi.	Stadium incubatio nis.	Exitus.	Annus observat.	Auctores.
12	Lork	a. n.	vir	debilis	scholae veterin. alumus	p. infect.	mall. farc. ac.	1 mens.	—	mors	1834	<i>Grossheim</i> : Einwirkung des Rotzes auf den Menschen. Repert. für Med. und Chir. von Klei nert, 1837. H. 7.
13	N.	23	—	—	equus.	perinocul.	mall. hum. chr.	6½ hbd. 4 dies	—	—	1834	<i>Lohmeyer</i> : Ein Fall von Rotz bei Menschen. Repert. für Med. u. Chir. von Klei nert, 1837. Heft 7.
14	N.	46	—	debilis	mercenarius	—	—	8 hbd. 4 dies	—	—	1837	<i>Kratzenstein</i> : Beitrag zum Rotz b. Menschen. Repert. für Med. u. Chir. von Klei nert, 1837. Heft 7.
15	Knobe	27	—	—	stabularius	per infect.	mall. farc. cin. chr.	5 mens.	sanat.	—	1835	<i>Genzmer</i> : Ein Fall von Erkrankung durch Rotzgift. Repert. für Med u. Chir. v. Klei nert, 1827. Heft 7.
16	Jünger	32	—	robusta	faber ferrarius	perinocul.	ml. farc. ac.	12 dies	16 d.	mors	1826	<i>Brunzlow</i> : Ein Fall von Rotz bei Menschen. Med. Vereinsztg. in Preussen 1837. Nr. 33.
17	N.	58	—	—	agaso	per infect.	mall. hum. ac.	16 dies	—	—	1837	Fall von acut. Rotz und Wurm, mitgetheilt von <i>Jacuselme</i> . <i>Schmidt's</i> Jahrbücher, 1838, Bd. 17. p. 175.
18	Wels	38	—	robusta	miles	—	—	12 dies	4 dies	—	1829	<i>Andrew Brown</i> : A cas of acute glanders in man. Dublin Journ. of the medicine, 1837. Frorieps neue Notiz, 1838.
19	N.	—	—	—	stabularius	perinocul.	ml. farc. ac.	30 dies	—	—	1841	<i>Bartsch</i> : Ein Fall v. Rotz b. Menschen. Med. Conversationsabl. d. wissensch. Vereins für Aerzte u. Apoth. Meklenb., 1841. Nr. 6.
20	Thullier	—	—	robusta	stabularius.	per infect.	ml. farc. chr.	5½ m. 4 hbd.	—	—	1841	<i>Lhommeau</i> : Un cas de farcin chez l'homme. Gaz des hopit. civ. et mil. 1841, p. 555.
21	Rocher	26	—	robusta	stud. med.	—	ml. hum. ac.	16 d.	7—14 dies.	—	1841	<i>Lhommeau</i> : Morve aiguë chez l'homme, transfere d'un homme par infection. Gaz des hopit. civ. et mil. 1841 p. 556.

22	Letellier	17 a. n.	vir	—	mercenarius	per infect.	mall. hum. ac.	—	—	mors	1841	<i>Bouillaud</i> : Morve aiguë chez l'homme. Gaz des hopit. civ. et mil. 1841, p. 563.
23	Martin	34	—	—	stabularius	—	mall. hum. chr.	21 mens. 1 mens.	—	—	1841	<i>Ambroise Tardieu</i> : Observations et recherches nouvelles sur la morve chronique et les ulcerations morveuses de voies aeriennes chez l'homme. Gaz. des hopit. c. et m. 1842 p. 6.
24	N.	22	—	—	miles	—	mall. hum. ac.	—	—	—	1841	<i>Thys</i> : Observations de morve aiguë chez l'homme. Archiv de la med. belge 1841 p. 65.
25	N.	61	—	—	auriga	—	—	4 dies	8 dies	—	1842	<i>Cratige</i> : The acute glanders in men. Edingb. med. and. surgical Journal. 1843 Jan.
26	Leclerc	32	—	—	stabularius	—	—	2 mens. 23 dies	—	—	1841	<i>Lefebvre</i> et <i>Branché</i> : Observations de morve aiguë. Gaz des hopit. civ. et mil. 1842, p. 105.
27	N.	36	—	—	—	—	mall. farc. ac.	—	3 dies	—	1841	<i>Gueneau Mussy</i> : Farcin aiguë chez l'homme. Gaz. des hopit. civ. et mil. 1842. Nr. 156.
28	N.	20	—	—	—	—	mall. hum. ac.	—	—	—	1836	<i>Grave</i> : A cas of acute glanders in man. Clinical Medicine, 1843, p. 717.
29	N.	—	—	—	praefectus militum	—	mall. farc. chr.	3—4 mens.	—	—	1842	<i>Guyon</i> : Observations de farcin chez l'homme. Compt. rend. de l'acad. des scient. 1843, p. XVII.
30	N.	36	—	—	stabularius	—	mall. hum. chr.	1 mens	—	—	1842	<i>Imbert-Gourbeyre</i> : Un nouvel exemple de morve chez l'homme. Gaz. des hopit. civ. et mil. 1843
31	Coquet	57	—	—	—	—	mall. hum. ac.	13 dies	10 dies	—	1842	<i>Jadoux</i> : Observations de morve aiguë. Gaz des hopit. civ. et m l. 1843. p. 593
32	Delanne	32	—	—	mango equarius	—	mall. farc. ac.	2 dies	15 dies	—	1842	<i>Jadoux</i> : Observations de morve aiguë. Gaz. des hopit. civ. et mil. 1843. p. 594.

Numerus	Nomen.	Aetas.	Genus.	Constitut.	Conditio	Contagios.	Morbi forma.	Spatium morbi.	Stadium incubat.	Exitus.	Annus observat.
33	N.	41 a. n.	vir.		stabularius	p. inocul.	mall. hum. ac.	11 dies		mors	
34	N.		fem.		uxor aurigae filia aurigae	p. infect.	mall. farc. chr.	2 mens. sanat.	2 mens. sanat.		
35	N.		—			—	—	6 mens.	6 mens.	—	
36	N.	50	vir.		carnifex	p. inocul.	mall. hum. ac.	24 dies	6 dies mors.	—	
37	N.	44	—		mercenarius	p. infect.	—	—	—	—	
38	N.	40	—	robusta	carnifex	—	mall. farc. chr.	—	—	—	
39	N.		—		equorum possessor	—	mall. hum. ac.	33 dies	—	—	
40	N.	63	—		homo rusticus	p. inocul.	—	—	—	—	1843
41	N.	43	—		—	p. infect.	—	—	—	—	1843
42	N.	56	—		mercenarius	—	—	4—6 d.	—	—	1843
43	N.	19	—		auriga	—	mall. farc. chr.	9 mens.	6 dies sanat.	—	1841
44	Pubel	23	—	robusta	rei vehiculariae magister	—	mall. hum. ac.	65 dies	5 1/2 mens.	—	1844
45	C. W.	14	—	robusta	agaso	—	mall. farc. chr.	130 d.]	—	mors	
46	N.	55	—		vinitor	p. inocul.	mall. hum. ac.	14 dies	—	—	

Klenke: Untersuchungen und Erfahrungen im Gebiete der Anatomie, Physiologie, Mikrokologie und wissenschaftl. Medizin. Leipzig 1843.
Krieg: Uebertragung des Rotzes auf den Menschen. Preussische Vereins-Zeitung 1843. Nr. 43.
Maxwell: Two cases of acute glanders in men. Dublin med. Press. 1843. Nr. 239.
M. Hughes: Cas of glanders in man. Guys hospit. Reports 1843. Nr. 1.
Grave: A cas af acute glanders in man. Clinical Medicine 1843.
Clement Hamerton: Three cases of acute glander in men. Dublin Journal of med. sciences. 1843.
Monneret: Un cas de farcin communiquée du cheval a l'homme. Journal de Medicine 1843. Paris.
Chatelein: Morve aiguë développée chez un detenu cinq mois et demi après son incarceration. Gaz. des hôp. civ. et mil. 1845. p. 389.
Alexander: Beobachtung von Uebertragung des Rotzes v. Pferden auf Menschen. Hoff. Journal Bd. 8.
Landouzy: Morve aiguë communicuée de cheval a l'homme. Gaz. Medicale de Paris 1843.

Numerus	Nomen.	Aetas.	Genus.	Constitut.	Conditio	Contagios.	Morbi forma.	Spatium morbi.	Stadium incubat.	Exitus.	Annus observat.
47	N.	a. n.	vir	robusta	tormentarius	p. infect.	mall. hum. ac.	8 dies	2 dies mors	—	1841
48	N.	36	—	—	quaesitor	—	mall. farc. chr.	12—14 dies.	sanat.	—	1843
49	N.	29	fem.	—	uxor cursoris publici	—	mall. hum. ac.	21 dies	2 dies mors	—	
50	N.		vir	—	stabularius	—	—	—	—	—	
51	N.	24	—	—		—	—	18 dies	—	—	1845
52	Darieux	44	—	lymph.	auriga	—	mall. hum. chr. trans in form. n. hum. ac	10 dies	8 dies	—	1845
53	Vaudichon	46	—	—	rhedarius	—	1 mens. 3 mens.	—	—	—	1846
54	Jacq. Grude	58	—	—	auriga	—	mall. hum. ac.	3 dies	8 dies	—	1846
55	Langrais		—	robusta	artis operum venditor	—	—	2 dies 14 dies	—	—	1847
56	N.	40	fem.	—	ciliciorum fabricatrix	—	—	4 dies 10 dies	—	—	1846
57	Michelson		vir	robusta	homo rusticus	—	mall. farc. ac.	6 dies	—	—	1849
58	N.		—	robusta	auriga	—	mall. hum. ac.	5 dies 3 hebdom.	—	—	1845

Westendorp: Observation d'un cas de morve chez l'homme. — Annales de Bruges etc. 1843. T. IV
Elzhardt: Der Rotz der Pferde auf den Menschen übertragen. Archiv für Hombopath. Heilkunde von Stapf und Gross. 1843. Bd. XVIII. p. 21.
Bourgeois: Nouveau cas de morve aiguë communiquée du cheval a l'homme. Journal de connaissances med. et chir. 1844. p. 68.
Redemens: Un cas de morve aiguë chez l'homme. Archiv de la med. belge. 1844. Nov.
Lamier: Morve aiguë chez l'homme, mort 18 jours de durée. Gaz. des hôp. civ. et mil. 1845.
Bricoteau: Morve aiguë chez l'homme. Gaz. des hôp. civ. et mil. 1845. p. 494.
Monneret: Nouvelles observations pour servir à l'histoire de la Morve chez l'homme. Archiv general. med. 1846.
Noble: Morve aiguë chez l'homme. Gaz. des hôp. civ. et mil. 1847. p. 107.
Vigla: Observations de morve aiguë chez l'homme. Gaz. des hôp. civ. et mil. 1847. p. 154.
Ductos: Morve aiguë développée chez. une matelassière. Gaz. des hôp. civ. et mil. 1847. p. 449.
Wisingshausen: Dyscrasia farciniosa. Archiv der Klinik zu Dorpat. 1849.
Schwartz: Rotz bei Menschen. Beiträge zur Heilkunde von d. Gesellschaft pract. Aerzte zu Riga. 1851.

Numerus	Nomen.	Aetas.	Genus.	Constitut.	Conditio aegroti.	Contagio- nis modus.	Morbi forma.	Spatium morbi.	Stadium incubatio- nis.	Exitus.	Annus observat.	Auctores.
59	Sicart	33 a. n.	vir	robusta	auriga	per infect.	mall. hum. ac.	2 dies	15-21 dies	mors	1851	Narbonne: Observation de morve aiguë communiquée du cheval à l'homme. Gaz. des hôpit. civ. et mil. 1851, p. 282.
60	N.	25	—	—	faber lignarius	—	—	3 dies	5 dies	—	1852	Valleix: Leçons cliniques sur un cas de morve terminé d'une manière insolite. Gaz. des hôpit. civ. et mil. 1852 p. 381.
61	Adel. James	47	fem.	—	—	—	—	14 dies	10 dies	—	1852	Tezier: Memoire sur un cas de morve aiguë chez l'homme. Gaz. des hôpit. civ. et mil. 1852. p. 422.
62	P. Sleskal	—	vir.	—	miles	—	—	6 dies	—	—	1852	Bernatzig: Trois cas de morve aiguë chez l'homme. Gaz. des hôpit. civ. et mil. 1853, p. 469. Archives belges de médecine militaire.
63	Jandaczek	—	—	robusta	—	—	—	2 dies	5 diis	—	1852	Biton: Observation de morve chez l'homme. Gaz. des hôpit. civ. et mil. 1853. p. 53.
64	Michalezin	—	—	—	—	—	—	12 dies	—	—	1854	
65	Louis Foin.	30	—	—	—	—	—	23 dies	1 dies	—	1854	
66	Schukowsky	—	—	—	—	—	—	28 dies	3-4 dies	—	1854	
67	Petuchow	—	—	robusta	—	—	—	16 dies	4 dies	—	1854	Petrussewitsch: Acuter Roiz bei Menschen. Med. Zeitung Russlands. 1855. Nr. 14.
68	Gretschkin	27	—	debilis	—	—	—	17 dies	3-4 dies	—	1854	
69	Krawtshenko	—	—	—	calceamentorum ligneor. fabricator.	—	—	10 dies	8 dies	—	1854	
70	W. E.	47	—	—	—	—	—	—	—	sanat.	1853	W. Cox: Cas de Morve aiguë chez l'homme. Associations medical. Journal by John Cosmark 1854.

Jam, si omnia illa phaenomena, quae in morborum historiis modo expositis descripta sunt, velut in unam imaginem colligere studuerimus, facere non possumus, quin hanc imaginem confiteamur neququam tam multa cum aliquo morborum hucusque in hominibus cognitorum communia offerre, ut per totum affectionis decursum cum illo permisceri aut confundi queat. E contrario cuncta hujus mali phaenomena tam eximiam sibi vindicant cum mallei humidi in equis obviis symptomatibus congruentiam, ut non possimus istud non pro peculiari sui generis morbo habere. At nihilominus tamen abhinc paucis decenniis haud defuerunt, qui, rem ita se habere, omnino negarent, quos quidem verisimile est ad istam opinionem eo adductos esse, quod animorum attentionem ad morbi indolem parum adverterant, quodque symptomata ejus maxime propria non eo, quo aequum erat, modo cognita habebant. Verumtamen, si quis morborum historias a nobis allatas diligentius contemplari conatus erit, cum omnium primum fugere non poterit, quasdam diversitates, quae tum ad mali formam externam tum ad decursum pertineant, nequaquam deesse. Sunt enim duae maxime formae, nempe malleus humidus et farciminosus, quae tamen, quith et origine sua et natura tam intime inter se cognatae sint, ut forma altera alteram procreare valeat, non ita facile inter se certo distingui aut discerni possunt. Etenim plurimis virorum celeberrimorum observationibus hoc omnino compertum habetur, animalium malleum farciminosum in hominem translatum aut affectionem cognominem aut malleum humidum provocare, qua in re, utra in singulis casibus forma existat, verisimillimum est ex uniuscujusque proclivitate propria, aut hunc aut illum morbum facilius evolventi, dependere. Pariter, malleo humido ab animali in hominem propagato, aut affectio eadem aut malleus farciminosus enasci potest, quo accedit, quod saepe in uno eodemque aegroti altera morbi forma se ad alteram adjungit. Quae res praecipue de malleo farciminoso chronico admonenda est, ad quem quidem saepius sub morbi exitum malleus humidus necutus se comitem addit, letalem mali eventum acceleraturus. Utramque harum formarum, nempe et malleum humidum et farciminosum, pro diversa, qua existunt, specie atque pro decursus diversitate in diversos ordines dividi placuit. Sic Ray er tres ordines mallei humidi posuit, quorum pri-

mus malleus humidus acutus ac pustulosus, secundus malleus humidus acutus ac gangraenosus, tertius malleus humidus acutus pustulosus et gangraenosus dicitur, quippe in quo duae formae priores inter se conjunctae appareant. Ceterum haec divisio non omnibus casibus accommodari potest, sed altera potius, quae a plerisque temporum recentiorum auctoribus accepta est, longe praeferenda videtur, qua scilicet tum malleus humidus tum farciminosus in formam acutam formamque chronicam dividi solent.

Ex quibus forma mallei humidi acuta omnes eos casus complectitur, in quibus tum in facie tum iis locis, ad quae membrorum musculorumque dolores pertinuerunt, tumores erysipelatosi, deinde musculorum telaeque cellulosa abscensus, inflammatione phlegmonosa vel erysipelatosa aut praegressa aut non praegressa, tum exanthema pustulosum, quod eruptionibus saepius repetitis per totum corpus, per cavi nasi membranam mucosam, tonsillas, velum palati, adeoque per linguam diffundi potest, harum partium membrana mucosa rubefacta, intumescens, consauciata ulceribusque oblecta, denique morbosa membranae mucosae nasi commutatio evolvuntur, quae commutatio in eo consistit, ut primo minores muci tenuis albidique, interdum striis sanguineis intermixti, quantitates, tum fluidum spissum purulentum, vel subflavum vel subfuscum, cum sanguine mixtum, excernantur. Hujus formae decursus pro contagii vi majore minoreve satis differt, ut qui interdum non longius quam aliquot dies perduret, alias per complures hebdomades extrahatur.

Nomine formae chronicae mallei humidi a multis auctoribus ea dicitur, in qua phaenomenis exanthematicis cutis omnino deficientibus, membrana mucosa organorum respirationis jam ab ipso initio magis, quam in forma acuta, affecta cernatur, in qua articulationum musculorumque dolores nulla intumescens nec ullo rubore stipati sint, in qua denique abscessus raro observentur. Hujus formae decursus per complures annos continuari potest.

Malleus farciminosus acutus maxime tumoribus artuum duriusculis ac fluctuantibus, aut dolorificis aut nihil doloris moventibus, excellit, quae quidem diversitas dolorum inde maxime dependet, utrum tumores in tela cellulosa subcutanea an sub aponeurosi sedem habeant. Accedit praeterea

exanthematis cutis eruptio, quod simile est illi, quo malleus humidus excellit, accedunt noduli proprii ac peculiare, summam furunculi nascentis similitudinem referentes, qui tamen brevi tempore in ulcera abeunt. Nasi cavum in hac forma nihil commutationis subit. Decursus idem est, qui mallei humidi acuti.

Malleus farciminosus chronicus eosdem quidem, quos modo commemoravimus, tumores offert, at cutis exanthema perraro existit, neque ita crebro nasi orisque cavum affectum cernitur. Hujus formae decursus per plures annos tenere potest.

His discriminibus expositis, si morborum historias supra allatas perlustramus, malleum humidum in casibus 48 adfuisse videmus, ex quibus 6 tantum ad formam chronicam pertinent. Malleum farciminosum in casibus 22 invenimus, ex quibus casus 12 formam chronicam offerunt. Contra secundum Rayer ex casibus 18, in quibus malleus humidus adfuit, tres formam chronicam, ex casibus 22, qui ad malleum farciminosum trahendi sunt, 15 formam acutam obtulerunt; id quod rationi alteri modo propositae non omnino respondet.

Neque aetatem puerilem neque senectutem, dummodo aliqua ad contagium accipiendum proclivitas exstet, quam ab illius propagatione tutum praestare, ex morborum historiis apparet, quippe quae homines annos 12—63 natos malo affectos esse doceant. Ceterum ex omnibus illis casibus quinque tantummodo ad feminas pertinent, quarum unam ex pilis equinis cilicia conficientem ex equorum malleo humido laborantium pilis contagium traxisse verisimile est. Quod autem haec ratio feminis tam secunda apparet, ejus rei causa non tam ex minore contagii recipiendi proclivitate, quam inde repetenda est, quod feminae propter negotia sua vitaeque rationem multo rarius, quam viri, ad contagii periculum expositae sunt. Etenim quaestum ac negotia hominum ad morbi originem haud parum conferre, hoc vel inde luculenter patet, quod solum eos homines affectione hac correptos fuisse videmus, qui multum cum equis versarentur. Itaque morbus praecipue agasones, aurigas, equites similesque invasit, dum inter aliorum ordinum homines malum raro, quin etiam nunquam, reperitur. Neque ullam corporis constitutionem esse, quae prae ceteris morbi evolu-

tioni faveat, quantum quidem observationes hucusque prolatae demonstrant, extra omnem dubitationis aleam positum videtur. Quod vero ad modum ac rationem spectat, qua contagium ab altero in alterum transferatur, ex casibus a nobis propositis infectionem universalem longe frequentiore esse elucet, quam infectionem localem. Namque inter casus 70 undecies tantum localis principii contagiosi efficacitas certo monstrari potuit. Incubationis periodus brevior est, si quis inoculatione virus recepit, nam in quibusdam casibus morbus jam dierum 4—6 spatio, in aliis demum post hebdomades 2—3 erumpit, dum in infectione haec incubationis periodus per longius temporis spatium continuatur. Etenim, dum in paucis casibus non plus dies 2. 3. 10 durat, in plerisque per plures hebdomades, quin immo, uti ex tab. nr. 35, 44 cognoscimus, per nonnullos menses produci potest.

De mallei humidi indole contagiosa et contagii propagatione.

Ex quo tempore vir clarissimus Viborg¹⁾, qui de arte veterinaria tam eximie meritus est, suas investigationes instituit, malleo humido principium quoddam contagiosum inesse, omnino certum atque exploratum habetur; qua causa adductus litem istam a veterinariis francogallicis maxime, naturam mali contagiosam negantibus, susceptam silentio omittebam esse existimo. Namque documenta, quae ex morborum historiis hucusque in medium prolatis desumpta, malleum humidum contagiosum esse probant, tam multa atque idonea sunt, ut iis nullo modo contradici queat. Equidem satis duco, lectorem benevolum ad observationes a Rayer²⁾ et Elliotson³⁾ collectas atque ad casus a me allatos delegasse, utpote ex quibus morbi naturam contagiosam esse satis superque liqueat.

Ad vias autem quod attinet, quibus contagium ab altero in alterum transferatur, ad hunc diem a viris doctis duae maxime sunt positae. Namque 1) propagatio viri contactu fit,

1) Viborg, Sammlung von Abhandlungen für Thierärzte und Oecquo-men. Copenbagen 1795. Vol. II et III.

2) Rayer, Memoires de l'acad. d. med. 1837. VI. pag. 625.

3) Elliotson, Medico-chirurgical transact. 1830. XVI. 171.

i. e. inoculatione, aut sponte aut forte facta, viro morbi vel in vulnera vel in corporis partes, membrana mucosa aut tenera epidermide tectas, penetrante. In homine, nisi de inoculatione fortuita, verba facere non possumus, quoniam, qui sponte in se inoculationem faciat, dementia inexpressibilem committat 2) Contagium infectione transferri potest, quae quidem aëre atmosphaerico ab animalibus malleo humido laborantibus inquinato efficitur. Utroque in casu morbus aut mallei humidi aut farciminosi formam induit. Inoculatione facta, vulneris infecti phaenomena localia accedunt, qua in re tamen admonendum est, morbi vehementiam in his casibus plerumque non tantam esse, quantam post infectionem, quoniam superficies, quae contagium ex aëre atmosphaerico recipit, nimirum organorum respirationis membrana mucosa, et multo major est ideoque recipiendo miasmati faveat, et graviore cum sanguinis apparatione connexu continetur.

Verumtamen contagium non in quemvis, qui ad ipsius effectum expositus fuerit, agere, tum usus atque experientia multimodis confirmavit, tum et morbi historia, quam quintam protulimus, nos edocet. Etenim, ut infectio fiat, ex altera parte quaedam contagii vis, quae cum morbi gradu adaugetur, ex altera quaedam contagii efficaciam recipiendi proclivitas necessaria est. Quae proclivitas qua in re consistat, num in organismi debilitate, an in morbis praegressis, an in aliis rebus nitatur, id nobis omnino incognitum atque ignotum est. Certe, organismi debilitatem causae esse, tanto minus est verisimile, quod tam saepe homines robustos atque validos affectione corripit novimus.

Quodsi statuerimus, has condiciones necessarias in experimentis, quae veterinarii francogallici susceperint, de-fuisse, praesertim accedente forsitan diagnosi falsa, qua mucii ex naso effluvium benignum, quale in pano observatur, pro malleo humido haberetur, sane intelligere potuerimus, quam facile isti eo adducti fuerint, ut malleum humidum contagiosum esse negarent, ac quo modo Hallbach, scholae veterinariae Berolinensis assessor, animum inducere potuerit, ut, si quis experiri vellet, se mucum ex animali malleo humido laborante exceptum sibi inoculari passurum profiteretur.

Alterum documentum, ex quo appareat, malleum humidum contagiosum esse quodque idem affectionem in homine, non aliam esse, quam in animali demonstret, ex illis repeti

potest experimentis, quibus pus vel sanguis ex homine affecto petitus animalibus inoculatus est. Jam anno 1812 in casu a Dr. Schilling observato pus ex pustula in fronte exorta desumptum cuniculi maris, sanies ex naribus profluens cuniculi feminae membranae mucosae nasi inoculata sunt. In utroque animali triduo post, quo loco inoculatio facta erat, ulcera fundo lardoso praedita nec multum puris excernentia exstiterunt, utrumque aegrotavit, utrumque anorexia, diarrhoeaque laboravit, et cuniculus mas die 20 periit. Cadaveris sectio ulcus magna crusta obiectum hepatisque parenchyma pure impletum ostendit. Idem in cuniculo femina, post aliquot dies necata, sectio cadaveris docuit. Et hic casus et pericula omnia in muribus muribusque rattis suscepta nunquam morbi imaginem malleo humido propriam obtulerunt. At melius contagiosam morbi naturam nobis haec experimenta persuadent.

1) Agaso Thuilier, (cf. tab. nr. 20) malleo farciminoso chronico affectus est equusque, cui pus ex ulceribus exceptum inoculatum fuerat, brevi, mallei humidi acuti symptomatibus mortem comitantibus periit; cujus cadavere secto, mallei humidi signa manifestissime apparuere.

2) Dr. Kléncke (cf. tab. nr. 33), quum canis magni membranae mucosae nasi confervarum cellulas germinativas, quas in pure hominis malleo humido affecti invenerat, inoculasset, in cane manifesta morbi ejusdem symptomata deprehendit.

3) Guyon materiam, ex pustulis praefecti militum in casu 7 commemorati malleo farciminoso acuto extincti faciem cruraeque obtegentibus desumptam, mulo et duabus equis inoculavit; quo facto equarum altera malleo humido, mulus malleo farciminoso correptus est. Equus, cui sanguis humanus illius inoculatus erat, mallei humidi symptomatibus succubuit.

4) In casu 8 canis, cui pus ex hominis malleo humido laborantis ulceribus petitum inoculatum erat, malleo farciminoso affectus est.

5) Equus, pure, quod ex aegroti malleo humido affecti ulceribus exceptum erat, inoculato, eodem malo periit.

Possum quidem permultos ejusmodi casus proponere, qui et documento sint, mali formam in homine atque animali eandem esse, et utriusque morbo, nempe malleo humido et malleo farciminoso, unam eandemque dyscrasiam subesse

coarguant; at nunc quidem satis duco, unius casus de contagio ab homine in animal transferendo mentionem injecisse, quem Renault academiae literarum Parisinae proposuit. Renault enim hominis malleo humido mortui pus equo inoculaverat, qui, quindecim diebus elapsis, periit. Quod animal dum aegrotat, vir doctus ex ejus vena jugulari certam sanguinis quantitatem petivit, quam quum ope microscopii pervestigaret, nullum, quo ab animalis sani sanguine differret, discrimen observavit. Quem sanguinem postquam normali temperatura praeditum equi sani venae jugulari injectit, triduo post in eo mallei humidi symptomata exstiterunt, quibus animal extinctum est. Qui equus posterior dum vivit, ei Renault sanguinis quantitatem detraxit, quem quum equo sano alacrique separatim posito injecisset, tribus diebus exactis, tum peculiare istae in nasi membrana mucosa pustulae apparuerunt, tum cetera mallei humidi symptomata in conspectum venire.

In omnibus, quas descripsimus, morbi historiis, percontatione diligentiore facta, homines affectos cum equis malleo humido laborantibus versatos esse certo constitit, quippe qui vel inoculatione infecti, vel diutius in aëre atmosphaerico animalium istorum contagio inquinato commorati essent. Nam homines isti affecti agasones, aurigae, mercenarii, equites, alumni veterinarii etc. erant. Quin etiam in nonnullis casibus, proclivitate quadam contagii recipiendi praesente, vel brevis temporis in tali stabulo commoratio ad morbum provocandum sufficere videtur, id quod e casu a Tarozzi¹⁾ prodito evidenter apparet, in quo ex hominibus 47, qui in equile, ubi equus malleo humido laborans positus erat, accesserant, undecim morbo quodam correpti sunt, musculorum doloribus, ecchymosis, ulceribus pus emittentibus, vesiculis gangraenosis, deliriis, virium debilitate insigni. Quin in aliis casibus ne tali quidem aëre atmosphaerico ab animalibus malleo humido affectis inquinato ad morbum istum efficiendum opus esse, casus duo a Vigla et Duclos²⁾ allati demonstrant, in quibus infectio eo exorta narratur, quod homines pilis ab animalibus affectis, quantum verisimile erat, petitis usi fuissent.

1) Tarozzi, Annali universali di medicina dal Omodei Agosto 1822. pag. 226 Rnst. Magaz. 1823. Vol. XIV. pag. 487.

2) Vigla et Duclos cf. tab. 55 et 56.

Hucusque pauci tantummodo innotuerunt casus, qui principium contagiosum ab altero homine in alterum transferri posse indicent. Hoc in inoculatione haud dubie fieri, certo statui potest, quantum observationes hac de re ad hunc diem susceptae docuerunt. At alia tamen rei ratio est, si de contagio altera via, i. e. per aërem atmosphaericum, ab homine in hominem transferendo agitur. Medicus quidam Hibernus, Ferran nomine¹⁾, casus mentionem infert, quo malleus humidus a patre in filium, ejus curam gerentem, propagatus sit. Sic et Rocher, studiosus medicinae (cf. tab. nr. 21), qui Thuilier agasonem curaverat ejusque cadaver secuerat, ipse malleo humido correptus est. In casu posteriore hoc maxime admonendum est, quum Rocher in cadaveris sectione instituenda sibi nullam laesionem intulerit, verisimile esse, non inoculationem, sed infectionem accidisse. Qui infectionis modus, causa non est, cur fieri posse negetur, namque, quum sanguis hominum malo affectorum non minore vi contagiosa instructus sit, quam pus ulceribus contentum vel materia ex naso emanans, id quod ex inoculandi periculis a Guyon factis casuque septimo memoratis apparet, statuamus oportet, principium contagiosum in omnibus organismi humani secretis inesse atque a pulmonibus cuteque aëri atmosphaerico impertiri. Quod vero hac via infectio tam raro evenit, ejus rei causa praecipue in faustis rerum conditionibus reposita est, quibus homo ex comparatione animalis morbo perfungitur. Etenim, dum animal in stabulo humido ac pestilenti tenetur, homo conclavi puro, ad quod liber aëri aditus pateat, majore munditia melioremque cura utitur.

Ex quo tempore Viborg pus malleo humido peculiare in alia animalia, ad equorum genus non pertinentia, translatum phaenomena malleo humido propria provocare negavit, haec quidem sententia communi omnium virorum doctorum consensu confirmata stabat. At observationes posteriore aetate institutae huic opinioni quam maxime repugnant. Professor Rossi enim Taurinas pus illud animalibus ruminantibus inoculari posse demonstravit praecipueque de bubus malleo humido affectis mentionem injecit; in qua quidem animalium specie, testante Maillet, malleus farciminosus quoque

haud ita raro observatur. Sic vir doctus casum quendam enarrat, in quo lanus bovis, qui hoc malo laborabat, corio detracto infectus symptomatibus mallei humidi exortis mortem occubuerit. Quin etiam ad hirudines aegrotis applicitas viri efficacia transisse traditur, quippe quae brevi, postquam adhibitae sunt, tempore circumactis perirent. Pariter hirudinum recentium multitudo eo necata esse narratur, quod aegroti sanguine aspersa fuerit. Postea Kléncke experimenta suscepit, in quibus, pure malleo humido peculiari in canes translato, in his quoque morbum illum evolvi vidit. Praeterea Audubert¹⁾, casum quendam commemorat, in quo J. Mazard rusticus, vacca, quae malleo humido laboraverat, corio nudata infectus, aliquot diebus exactis, mali istius symptomatibus extinctus fuerit. Pellis vaccae quum a rustico isto in flumen coniecta esset, infans duos annos natus, qui tria kilometra ab loco, ubi pellis jacebat, corpus in amne lavaverat, et ipse mallei humidi symptomatibus correptus vita decessit.

Quaedam de contagio ipso.

Ut in omnibus morbis contagiosis, ita in hoc quoque viri docti multum operae eo contulerunt, ut contagii indolem substantiamque ejus efficacem cognoscerent; quae opera tamen, id quod vehementer dolendum est, quamquam multis in eum finem disquisitionibus susceptis, adhuc nullum successum habuit.

Experimenta multiplicia, quae Viborg indefessa diligentia instituit, principium contagiosum non soli puri ex naso profluenti materiaeque ulceribus contentae, verum etiam diversis animalium malleo humido laborantium secretis, eorum sanguini, salivae, sudori urinaeque adstrictum esse docuerunt, quum omnes hae substantiae, si aliis animalibus inoculatae fuerint, peculiariter mallei humidi symptomata provocent, licet nihil in eis exquiri possit, quo ab organismi sani secretis discrepent. Porro idem vir doctus principium contagiosum puri secretisque adhaerens vel calori 45° R. expositum vel destillatum, neque vero, si in longius temporis spatium ad aëris atmosphaerici aditum expositum fuerit, destrui posse

1) Gazette medicale 1838. pag. 674.

1) Gaz. des hôpit. civ. et milit. 1852.

probavit. Nam contagium, quamvis diutius ad aëris effectum, expositum, tamen non destrui, multi casus documento sunt, in quibus infectio vasis potoriis, praeseptis rebusque similibus facta est.

Temporibus recentioribus neque subsidiis chemicis, neque microscopii usu ars medica quidquam nobis praebuit adminiculi, quo in difficili hac quaestione inniti possimus. Kléncke et Langenbeck, microscopio usi, in pure mallei humidi proprio formationes quasdam vegetabiles ordinum inferiorum reppererunt, easque pro substantia contagiosa habuere, quas tamen dum alii frustra in illo pure quaesierunt. Virchow etiam in materia non suspecta ex naso hominum coryza chronica pertinacissima laborantium effluente invenit. Neque plus in doctrina de contagio studiis Rossi ¹⁾, ope galvanismi institutis, profectum est, ita ut usque ad hunc diem nobis acquiescendum sit conjecturis.

Ex quibus proxima vero haec est, qua contagium pro substantia cum sanguine corporisque secretis chemice juncta habetur, quae tamen credenda est neque semper forma aliqua fixa instructa esse neque necessario ope vehiculi in alterum transferri. E contrario contagium, quamquam vehiculo evanescente, tamen manet, ut quod a vehiculo neutiquam pendens ipsum per se existet. Contagium forma volatili aëri atmosphaerico impertiri hujusque aëris infecti inspiratione eam vim exhibere potest, ut morbum provocet. Haec contagii actio autem, qua aegrotationem efficit, altera ejus proprietate nititur, nimirum facultate semet ipsum multiplicandi, qua fit, ut, si vel minima contagii pars in eum, qui recipiendo aptus sit, translata fuerit, in hoc innumera producta gignantur, quorum quodque vi contagiosa aequae magna praeditum sit. Pro praecipua tamen ejus sede sanguis putandus est, in quo postquam pro majore minoreve vigore aut celerius aut tardius crevit, inde in varias corporis partes perductum tum demum, quum materiae contagiosae sat magna evoluta est quantitas, morbus ut erumpat, efficit. Quae quum ita sint, contagium pro producto reproductivo morbusque pro reproductione habendus est. Auctore Virchow, primae commutationes morbosae in malleo humido hypertro-

1) Rossi Annali universali de medicina. Turin 1838.

phicae elementorum telas constituentium luxuries sunt, veluti in nasi membrana mucosa, in corpusculis telae submucosae e substantia conjunctiva consistentibus, quae corpuscula, prout diversa est producendi vis, nunc majores nunc minores nodulos producant. Qui in variis corporis partibus exstant, ac pro diversa eorum aetate aut cellulas recentissimas tenerrimasque ac minimas aut majores, conspicuis nucleis praeditas invenimus, quae confertissime positae paene totam noduli massam constituunt. Inde cellulae jam aetate proveciores, dissolutionis processu inito, corpusculis adiposis implentur, lineisque extremis dilapsis, ille cellularum detritus, qui massae caseosae speciem praebet, existit. Ulterior horum nodulorum decursus ulteriorem metamorphosim offert, consistentem illam quidem mollescendo, processu mere chemico, detritus cellularum ulteriore dissolutione ac permutatione.

Ad aetiologiam quod spectat, supra jam commemoratum est, affectionem solummodo materiae contagiosae efficacia provocari posse ac necesse esse, quandam hunc effectum recipiendi proclivitatem exstare. Ad spontaneam autem morbi originem quod attinet, ea in homine quidem hucusque observata non est.

Diagnosis, dummodo anamnesis certa sit, nihil difficultatis offert; sin illa est dubia, morbus, de quo agimus, inoculatione effectus facile cum infectione ex viro cadaverum vel aliis materiis venenosis exorta permisceri potuerit. Morbus praeterea ab ipso initio, priusquam certo loco sedem constituat, cum febris rheumatica confundi possit; qua in re tamen gravissima capitis affectio, viriumque debilitas et exigua sudandi proclivitas ab erroribus nos tutos praestant.

Porro malum cum typho permisceri posset, nisi illo tempore, quo haec similitudo apparet, jam exanthemata cutis erupissent. Eximia virium prostratio statusque comatosus nos phlebitidis admonent, a qua tamen malleus humidus eo differt, quod horripilationibus istis phlebitidi propriis caret.

Cum aliis quibusdam morbis, qui et ipsi contagio provocantur, uti cum syphilide, peste, variola, tum quod ad infectionem tum quod ad sedem certo loco fixam atque ulteriorem decursum attinet, malleo humido quemadmodum ex tabula Delaharpia ¹⁾ luculenter apparet, multa communia intercedunt.

1) Tableau comparatif de la morve, de la syphilis, de la peste et de la variole par Delaharpe. Gazette des hôpitaux civ. et mil. 1841, p. 458.

Tabula comparativa de malleo humido in hominibus obvio, syphilitide, peste et variola.

<i>Malleus humidus in hominibus.</i>	<i>Pestis.</i>	<i>Variola.</i>	<i>Syphilitis.</i>
Contagium directo fit et, quantum verisimile est, etiam indirecte. Quarum specierum prior pure translato, altera ope organorum respiratorum cutisque efficitur.	Contagium aut directo aut indirecte fit. Vis inficiendi pure ac, quantum verisimile est, diversis secretis liquidis continetur. Infectio per cutem membranamque mucosam fit.	Contagium aut directo aut indirecte fit. Vis inficiens puri diversisque secretionis productis inest. Infectio aut per membranas mucosas aut per cutem fit.	Contagium aut directo aut indirecte fit. Principium non nisi infectio per cutis superficiem fit.
Inoculatio affectionem localem producit, quae universalis evadere conatur. Homo in posterum quoque ad morb. subeund. proclivis manet.	Inoculatio morbum localem efficiere potest, qui brevi universalis existit. Facultas morbi recipiendi non perditur.	Inoculatio brevi tempore affectionem universalem producit. Morbi subeundi facultas post sanationem cessat.	Inoculatio infectionem localem, quae in universalem transire contendit, affert. Morbi recipiendi facultas post sanationem perdurat.
Prima symptomata localia primitivam systematis lymphatici organorumque vitae vegetativae laesionem offerunt. Si morbus universalis existit, in iisdem systematibus sedem habet, systematibus vasorum nervorumque tantum via secund. affectis.	Prima symptomata primitivam vasorum, praesertim systematis lymphatici, laesionem ostendunt. Vitae processus tantummodo via secundaria afficitur.	Prima symptomata primitivam systematis vascularis laesionem indicant; pariter malum universale. Vitae processus ce-teraque functiones solummodo via secundaria afficiuntur.	Prima symptomata localia primitivam processum vitae vegetativae laesionem indicant, pariter in iisdem casibus, in quibus morbus universalis existit. Systema lymphaticum modo via secundaria afficitur.
Morbi decursus exitusque turbationem septicae indicant.	Morbi decursus exitusque turbationem septicae indicant.	Morbi decursus exitusque turbationem inflammatoriam vehementissimam indicant.	Decursus exitusque morbi turbationem inflammatoriam chronicam ostendunt.
Morbi decursus aut acutus aut chronicus esse potest.	Morbus decursum acutum init.	Morbus decursum acutum tenet.	Morbi decursus chronicus est.
Laesiones anatomicae praecipue pustulis abscessibusque consistunt.	Laesiones anatomicae imprimis in glandularum lymphaticarum tumoribus, carbunculis, petechiis consistunt.	Laesiones anatomicae pustulis in cute fauciumque et laryngis membrana mucosa erumpentibus consistunt.	Laesiones anatomicae praecipue pustulis, in telarum conjunctivarum, membranarum mucosarum, cutis, gangliorum lymphaticorum ulcera transeuntibus, consistunt.
Abscessus in gangliis lymphaticis musculisque et tela cellulosa nec non in organorum respiratorum membranis mucosis atque in cute sedem obtinent.	Mors symptomatibus universalis virium collapsus infertur.	Mors adynamia systematis vasorum nervorumque, plerumque symptom. inflammatoris ingruit.	Mors symptomatum localium atque secundariorum, raro, idque in syphilitide congenita, marasmisequela est.

Prognosis adeo est adversa, qua infaustior fere in nulla alia affectione exstet; nam ex omnibus, quos attulimus, casibus tantum 7 inveniuntur, in quibus sanatio successerit. Quorum casuum unus malleum humidum acutum, sex malleum farcinosum chronicum obtulere. Omnes reliqui casus exitu letali fuerunt. Minus infausta mortalitatis ratio est secundum Rayer; namque ex quindecim mallei humidi acuti casibus in uno sanatio contigit, ex casibus 3 mallei humidi chronici duo letales fuere, ex casibus 15 mallei farcinosi acuti quinque in convalescentiam, ex casibus 7 mallei farcinosi chronici unus, in mortem exitum habuit.

Cura. Ad hunc diem therapia adversus morbum, de quo disserimus, nihil vel perparum valuit; nam aegroti hoc malo affecti, quamvis omnibus curis tum symptomaticis tum empiricis in usum vocatis, fere omnes mortem occubuerunt, paucique casus, in quibus sanitatem restituere contigit, minus artis, quam naturae medicatrici merito attribuendi sunt.

Sanie mallei humidi vel mallei farcinosi in cutis locum vel consauciatam vel tenero indumento tectum translata, hic locus extemplo calcariae chloratae vel lixiviae solutione lavandus est, ut scilicet virus amoveatur. Tum pars affecta cauterio aliquo diligenter cauterizanda est suppuratioque remediis irritantibus adjuvanda. Si autem infectio per aërem atmosphaericum acciderat, diversissima remedia, uti emetica, purgantia, diaphoretica adhibita sunt, deinde calomelanos magnis dosibus usus commendatus, porro chininum sulphuricum (a Pedrazzoli), ammonium sesquicarbonicum cum creosoto, postea cum ferri citrici praeparato (a W. Cox.), remedia purgantia, et tonica (a Rayer) nec non creosotum (Elliotson) tum extrinsecus tum interne adhibendum suasa sunt, at omnia haec medicamina non eum, quem exspectaverant viri docti, eventum praebuerunt.

Cura symptomatica si quis uti voluerit, ei ob vehementem reactionem febrilem et inflammationes locales stadio morbi primo methodus antiphlogistica ineunda ideoque sanguinis detractiones et locales et universales instituendae videantur. Verumtamen plerisque in casibus, quum febris transitus ad indolem typhosam putridamque acceleretur, hujus curationis exitum parum prosperum observamus. In altero morbi stadio convenienter ad febris indolem viriumque statum remedia tonica acidaque profutura credantur,

diaeta nutriente viniq̄ue usu accedentibus, Simul maximi momenti est, pustulas abscessusq̄ue mature aperiri et cauterizari, quippe quibus ulterior sanguinis infectio sustentetur.

In forma mali chronica adhuc iodum ejusq̄ue conjunctiones, sublimatum balneis calidis e lixivia paratis adjutum, fomenta emollientia, unguenta hydrargyri iodique plurimum profuerunt. Hic quoq̄ue ulcera aperienda aegrotiq̄ue vires remediis roborantibus, diaeta nutriente vinoq̄ue sustinendae sunt. Dr. Ehrhardt casus cujusdam mentionem infert, in quo malleus farciminosus chronicus homoeopathico arsenici usu in convalescentiam exierit.

Itaque, quum curae therapeuticae tam infaustum sit praesagium, tanto diligentius prophylaxi utendum est. Etenim animalia malleo humi do affecta quam primum necentur, omnesq̄ue res, quibuscum animalia ista in contactum venerint, e medio tollantur oportet.

Iis autem, quibus negotium est impositum animalia affecta tractandi, ut quemvis substantiarum inficientium contactum evitent, munditiaeque quam maxime prospiciant, neve in stabulis dormiant, videndum est.

Praecipue tamen, si illorum manus aliaeve corporis partes excoriatae vel adeo vulneratae sunt, ab iis quivis animalium ex malleo humido laborantium contactus aut prorsus evitetur aut cum cautione quam maxima fiat oportet.

Theses.

- 1) Malleus humidus et malleus farciminosus synonyma sunt.
- 2) Evolutio spontanea mallei humidi in hominibus non exstat.
- 3) Nullus exstat animi morbus, nisi materia etiam affecta.
- 4) Effectus medicamenti sine permutatione materiae cogitari non potest.
- 5) Keratoplastica ludibrium inane est.
- 6) Operatio fistulae vesico-vaginalis secundum Burchardt omnibus praeferenda est.
- 7) Hydrops non est morbus.
- 8) Organorum cavi thoracis affectiones nisi percussione aut auscultatione certo diagnosci non possunt.